



# Disputatio philosophica inauguralis de vitiis humanae cognitionis

<https://hdl.handle.net/1874/342818>

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS,  
DE  
VITIIS HUMANÆ  
COGNITIONIS,

QVAM,  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.  
*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri , atque in inclytâ ejusdem Academiâ  
Medicinæ , Anatomæ & Botanices Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicî consensu, & Subtilissima  
Facultatis PHILOSOPHICÆ Decreto,  
Pro DOCTORATUS in PHILOSOPHIA Gradu , & ARTIUM  
LIBERALIUM MAGISTERIO, omnibusque prerogativis  
rite ac MORE MAJORUM consequendis,  
publicè Philosophantium censura exponit*

JANUS TRIGLAND, HARLEMO-BATAV.

*Ad diem 25. Maii , horâ locoq[ue] solitis.*



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academizæ  
Typographi, cl. Ic. Lxxxv.

OMNIBUS  
SACRUM.



DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS  
DE  
**VITIIS HUMANÆ  
COGNITIONIS.**

THE S I S . I.



Uia hocvocabulum Vitium notat carentiam alicujus perfectionis in hâc illâvre, quæ ipsi adesse debebat; & cum omnis carentia nos cogitare facit de opposito ejus, cuius illic absentia est: etiam hæc vocabula , Vitia humanæ cognitionis, menti injicient cognitionem alicujus normæ & regulæ in humanâ cognitione, quæ si hinc abest , Vitium esse dicetur. Adeò quotiescumque res nobis in intellectu representamus ; quoties plura intelligentes , illa plura de eodem vel dici, vel non posse ex vero , judicamus ; quoties judicia alia post alia jungimus , eum in modum ut prior sit ratio posterioris ; omnes illæ mentis operationes rationem habent , quare sic , & non aliter , agamus. Confirmant id omnes quoties de turpi & honesto , de æquo & iniquo loquuntur ; quoties vituperant vellaudant; nam sic agnoscunt dari aliquid in mente juxta quod

A 2

hoc

## DISPUTATIO PHILOSOPHICA

hoc modo definiunt. Idem afferunt, qui principia per se nota lumen rationis, dictamen rectæ rationis admittunt, eo enim indicant dari aliquam veritatem, tanquam normam, ex quâ hoc modo vel cognoscamus, vel agamus. Atque hoc monendum fuerat, ut ne, nisi humanæ cognitionis & cognitionis ratio daretur, frustra de ejus vitiis ex ratione agerem. Est itaque vitium humanæ cognitionis, vel ignorantia primæ veritatis, sive principii, ex quo aliqua veritas est deducenda; vel ignorantia consequentiarum: quod utrumque potest dupli modo contingere. In illo quidem, quando nescii sumus veritatis primæ & nescios nos esse scimus; vel quando revera verum principium ignoramus, loco ejus falsum, sive ex quo res deduci non potest, subsumentes, existimantes nos verum principium inventisse. In hoc vero, quando, cognito principio, nos alia cognita habere putamus propter primam veritatem, quæ propter eandem cognita non habemus: vel contra, quando propter illam cognitam illa non cognoscamus, quæ propter eandem cognoscere potueramus, quod sit, si in ratiociniis anterioribus faciendis subsistimus, quæ hoc amplius ex rei cognitione jam factâ fluebant, non videntes.

### I I.

His duobus omne humanæ cognitionis vitium absolvitur. Respectu primi modi res dicitur obscura, quia est plana ignorantia principiorum, quæ quo major est, eo res dicetur esse obscurior. Respectu secundi modi res est obscura, si longâ serie consequentiarum opus est, ut cognoscatur; quia enim ad hoc summa attentio requiritur, & ut diu animum uni certæ rei adjungamus, quod nobis est insolens, animus ad alia avertitur, & quod unius rei est, alteri tribuit. Hinc contra intelligitur, quæ sit rei claritas; si multa talia cognoscimus, quæ nobis occasionem dant rem intelligendi: vel si propositio demonstranda, vel veritas cognoscenda non abest longe à principio, sed intellecto hoc, ferè intelligatur. Ita ut obscuritas & claritas non tam rerum sint quam potius intellectus, qui denominat rem obscuram vel claram respectu pauciorum.

ciorum vel plurium adminiculorum quibus ut mediis in re cognitionem potest pervenire. Inde quod uni clarum est, alteri est obscurum, & contra: nam alter cognoscit principia, unde aliquid deducitur, alter non. Hæc autem principia si facile ab intellectu inveniuntur, si dexteritate quædam legitimæ consequentiæ inde elicuntur, illa in mente facultas ingenium appellatur: in quantum autem facile unum ab alio distinguere possumus, intelligentes id, quod hoc illove modo esse representatur, quomodo, quando, & quoisque tale sit, judicium esse dicitur, per excellentiam, pro judicio rebus conformi. Quorum si absentia est, homo vel nihil quod per consequentias cognosci debet, sciet; vel in iisdem faciendis errabit plurimum. Atque de hoc posteriori vitio paucis dicam, consideratus homines non in quantum nihil cognoscunt, sed in quantum mala cognoscunt, quod posterius priori pejus est.

## III.

Hoc ut ordine agamus, videntur quædam præmittenda de Errore generatim, ut ita ad illa quæ de his & illis erroribus speciatim dicenda sunt, descendamus. Error est, Plurium prædicatorum unio inter se, in mente applicatorum rei, cui non convenient. Est is Error in judicio. In discursu erit, Unio plurium judicorum in mente, applicatorum rei, cui non convenient. Norma verò erroris est absentia normæ veritatis; ut igitur error esse dignoscatur, attendendum est ad normam veritatis, si abest, aut adest. Quæ norma est regula nostrarum affirmationum vel negationum; sive, signum unde dignoscimus aliquid esse affirmandum vel negandum. Hoc autem signum non definit esse tale, etiamsi quis erret circa illud signum, putans illud adesse, quando revera non adest: nam id contingit vitio ipsius cognoscens & non vitio signi; cognoscens enim ob varias circumstantias loci, & temporis non satis ad signum attinet. Quare non rectè querunt, qui volunt aliquem dare istius signi signum, ut ita semper de præsentia signi certi simus: Nam hoc pacto signum veritatis signum non effet, sed illud aliud, ad

## 6 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

quod velut ad signum exploraretur : & humana cognitio infallibilis reddi posset, quia infallibile signum, ad quod examinaretur, haberet. Quare dicendum nostram cognitionem normam habere respectu nostri non infallibilem, sive circa quam nos aliquando fallimur, quæ ex sece tamen norma manet : vel dicendum nos nostræ cognitionis nullam habere normam, quia eandem nemo infallibilis signo sibi candem adesse ostendere potest ; quale solum norma veritatis ex horum verbis esse debet. Sed cum posterius absurdum est, prius concludimus. Atque hinc contingit nos errare ex defectu nempe normæ, circa quam non possemus falli, dum esset indubitata omnibus & semper ; qui conceptus est primo prima humanæ imperfectionis in cognoscendo Idea.

### I V.

Videmus jam quid ad hanc quæstionem respondendum sit, quæ queritur, si homo potest sibi ab omni errore cavere? Ex dictis patet, quod non, sc. norma infallibilis dari deberet, secundum quam deberemus judicia nostra instituere: Talis autem speranda non est; præsertim si attendimus esse alias normas falsitatis in nobis, ex quarum præscripto multa nostra judicia instituere solemus, & quæ, quia nunquam omni loco, omni tempore aberunt, aderit error. Intelligo Pravos nostros affectus, quibus ab infantia affueti, etiam maturiori ætate adhærescimus: ab his oritur illa in judicando præcipitantia, quæ causa errorum esse dicitur, sed haec illos sæpè priores causas habet. Affectus illi sunt motus corporei primò primi cum corpusculi nostri ortu orti, variorum desideriorum contra rectam rationem in mente nostrâ causæ, eamque continuo consuetâ motione ad eandem cogitationem determinantes; quibus mens impedita non alia cogitat, quam quæ ad hanc motionem ipsi obvenit cogitatio. Cum enim ad varias corporis motiones, mens ipsi unita variè cogitet, prout primæ motiones fuerunt, ita & cogitationes ad illas excitatæ se habuerunt. At vero scimus primas vitæ nostræ occupationes & studia in eo ponit, ut quod nobis bonum est, de eo nobis prospiciamus,

mus, ut illa quæ nos cupimus habeamus; breviter, quod nostra desideria pro normâ agendi pertinaciter habeamus. Tales sunt primæ mentis cogitationes, prout corpori unita est, & inquantum considerat res, ut appetendas vel fugiendas, de quibus judicat ad primum corporis impulsum. Et quia quod fit in rebus cognoscendis ut bonis vel malis corpori, etiam fit de iis spe-  
catis, ut veris vel falsis, quæ posterior cogitatio est, hinc con-  
suetudo consuetudinem trahit, & omnimoda præcipititia in  
judicando oritur, quia ab infantia assueti suimus sine examine  
judicare. Dum ergo multæ de primis istis motionibus manent,  
simil & memoria judiciorum antea factorum ad tales impulsus  
corpusculorum recurrunt; mens, nisi continuò se examinans,  
(id est ad veritates quas secum invenit, sive quas cogitat sine ope-  
taliū motionum, vel hoc tempore, vel unquam factarum, at-  
tendens, secundum quas de talibus motionibus judicare debet)  
eodem modo, ut in infantia solebat, judicat. Et in his est quod  
sapiens à vulgaris cognitionis homine distinguitur: nempe, cum  
ad motus corporis variæ orientantur in animâ cogitationes, homo  
vulgaris ita cogitat, & illud, ad quod cogitandum à corpore  
impellitur, si primò res obvenit bona, talis est; si mala, talis est,  
nihil examinat, prout quæque ipsi primò obveniunt talia judicat:  
quia autem id quod semel judicium tulimus, non facile muta-  
mus, uti experimur quotidie, ideo talia judicia præjudicia vo-  
cantur, & ob pertinacem defensionem multum obsunt veritati.  
Sapiens verò non videt, quas cogitationes motus imprimunt, sed  
quales imprimere debent, & id ex præscripto illarum veritatum,  
quas cognoscit in se, ad quas leges motuum examinat; & ita se  
habet circa res cognoscendas tanquam veras vel falsas. In rebus  
verò cognoscendis tanquam bonis vel malis, ita se habet. Quo-  
niā scit ad varias animæ cogitationes, varios in corpore motus  
sequi; examinat res iterum secundum Ideas, & quales illas postea  
invenit, tali modo de iis cogitat, quæ cogitationes crebro re-  
petitæ motiones priores extingui vel in totum vel ex parte fa-  
ciunt; vel etiam quandoque motus planè contrarios excitant.  
Atque hoc regimen est viri sapientis, quando affectibus im-  
perat.

Affectus

## S DISPUTATIO PHILOSOPHICA

### V.

Affectus autem mali in hoc sunt multorum errorum causæ, tum ut oriuntur, tum ut veteres protegantur; quod aliquem impellant, ut satisfaciat isti suo desiderio, quare tum ad hoc conservandum omnia sua judicia determinat, & suas omnes de veritate sententias ad hoc privatum benè esse & contentum, accommodat. Unde quæcunque sententia turbat illud desiderium, rejicitur, hoc enim normam habet omnium suorum judiciorum. Sic homo gloriosus, & se totum ad gloriam consequendam componens, sententias, quæ amplificandæ sui nominis famæ obversantur, etiam sine examine rejicit. Huc si superbia accedit, quæ est nimia nostri æstimatio ob quædam, quæ in nobis putamus dona, credemus nos aliis vel cognitione esse superiores (viventibus præsertim) aut saltē æquales; quapropter si qua sententia proponitur, quæ nostra non est, illo fundamento hanc rejiciemus, quia si quid boni & egregii in illâ esset, nos jam ante illam perspectam habuissimus; aut ad minimum illi, quos nos pro doctoribus nostris agnoscimus, viris doctrinæ suæ & ingenii famam cum multis sæculis adæquantibus. Ita non solum amor nostri, sed & amor erga alios impedit errores attendi: hinc amicorum & hominum, quibus benè volumus, præsertim si doctrinâ & rerum scientiâ pollere creduntur, facile sententiam amplectimur: Duim enim illis, in quantum amici nostri sunt, benè volumus, optamus penes illos potius, quam penes alios esse veritatem, si itaque dubii de re aliquâ sumus, citius illis, quam his assentimur. Quod rectè illi norunt, qui quando alicujus sententiam volunt traducere, ejus personam in invidiam adducunt: ita ut satis sit aliquem odiisse, ad credendum nullum bonum ab eo posse profici. Dicat quis, primò esse cognitam sententiam hominis, & quia illam reprobamus, ideo & hunc reprobari. Sed certè, ita quidem oportebat: verum is hoc non objicit, qui attendit multos solo visu hominem aut famâ vel amare sepe, vel odiisse. Intelligitur jam, quare qui sententiis differunt, etiam inimico sint animo. Homo sese amat, credit

se a multis meritis instructum, adeoque facultate res intelligendi; qui sententiâ contrarius est, hactenus dicit illum Hominem esse a scientiâ imparatum, in quantum res non intelligit, ut sunt: si id in multis est, idem est, ac si dicat, talem ingenio esse destitutum; actiones sequuntur habitum. Ita omnia ad nostrum commodum referimus, & facilè hoc defendimus, quod quia nobis bonum est, credi optamus. His intellectis intelligitis quare primò lata de rebus judicia tam pertinaciter defendantur, nam agnoscere se errasse, esset consiteri se habuisse defectum ingenii: non opinantur hoc Homines. Simul videmus quomodo nos gerere debeamus in determinandâ aliquâ controversiâ, sàpè saltem. Debet quis attendere animum ad hoc, ut videat quænam secta capiat majus commodum peculiare ex aliqua sententiâ, an illi qui negant an illi qui ajunt; nam nemo contra suum commodum sentire alios volet, si id potest impedire: quare illa improbabit, quibus honor suus minueretur.

## V I.

Omnis tamen nolitiones & volitiones vehementiores non ob-  
sunt veritati, ex desiderio enim sciendi natum est philosophari, &  
si unius tantum affectus est, nimirum amor, non rectè credunt  
qui existimant, amorem aliquem in veritate cognoscendâ impe-  
dire, vel, quod idem est, in studio sciendi: amorem enim sciendi  
scire nos fecit. Et deinde, potest ipsa res amata esse stimulus scien-  
di, variis modis, sed hic omnes complectitur, Omnis finis nos  
facit cogitare de mediis, quia ergo rerum scientia nos sàpè facit re-  
rum potiri, quibus absque hâc caruissimus, (nam quoties no-  
stris desideriis decimus, id fit vel defectu sapientiæ, vel poten-  
tiæ, quatenus media non invenimus, vel istis frui non possumus)  
eò magis animum ad sciendum appellemus. Præfertim id verum  
est, si res amata, eft res ratione utens, quæ sibi similem amans,  
id est rem maximè ratione utentem, facilius acquiri potest. Sic  
multorum errorum causas potius ad affectus retulimus, quam ad  
præcipitantiam, vel ad abusum Humanæ libertatis; de præcipi-  
tantia dictum est, quomodo ex affectu oritur: Sed illud poſte-

## 10 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

rius nolle dictum, nam nihil hâc parte magni dicitur, idem est ac si quis dicat, nos errare, quia possumus errare. Nempè hoc dicitur; possumus determinare voluntatem nostram ad verum, & ad falsum, (intellige per voluntatem id quod alii vocant *judicium*) adeoque ad verum aut falsum naturâ nostrâ indifferentes sumus, abutimur jam illâ indifferenti libertate in hoc, quod illam voluntatem quam ad veritatem determinare debueramus, ad falsitatem determinemus. Non rectè, Præterquam enim quod jam ab aliis dictum sit, nos nostrâ naturâ non esse indifferentes ad verum & falsum, quia naturâ corrupti magis inclinamus in hoc, quam in illud; quod quia aliunde quam ex ratione humana habetur, ego mitto: respondens id ex ipsâ nostrorum principiorum cognitione quatenus homines sumus non bene dici, nos esse ad verum & falsum indifferentes, adjunctis & consideratis circumstantiis, sine quibus nulla nostra judicia formantur, quemadmodum autem quod ad circumstantias indifferentes non sumus, ita etiam non erimus indifferentes ad illud quod ad istas circumstantias sequitur: at verò multa nostra judicia dependent a motibus corporis, qui cumare cognoscente tantum in quibusdam casibus quod adeorumdem determinationem determinentur, & quod ad primos impulsus a re istâ non sunt, potius res cognoscens, si cum talibus motibus unita est, ab his determinabitur, quam hi ab illâ. Alia judicia pendent a nostrâ perceptione (clarâ & distinctâ, an a nexus subjecti & prædicati, jam non quæro) ut ea positâ non possumus judicium nostrum cohibere id est ut non sumus indifferentes ad opposita judicia, hoc est ad verum & ad falsum. Indifferentia enim definitur, quod sit talis animæ potestas, quâ, positis omnibus ad agendum requisitis possumus agere vel non agere: jam autem positis talibus circumstantiis per animam non est, secus judicare, Secundo, hic tacitè supponitur quod indifferentia ad opposita fit major perfectio quam ad unum esse determinatum, quæ sententia aliquando fallit: si enim indifferentia se habet ad duo talia opposita, quorum unum est perfectio, alterum est istius perfectionis absentia, uti hic; non rectè illud indifferentia dicitur, sed est mera impotentia & imperfectio, quæ in quantum reperitur in rationali prin-

principio, eo ipso indifferentiam cognitionis tollit, & quandam erroris necessitatem infert. Unde male quis dicitur ad sua vitia esse indifferens, quia enim nemo vult erroneum judicium, error alii causæ quam libertati est attribuendus. Et certè, si quaalia, saltem hæc indifferentia est minimus gradus libertatis. Unde concludimus, ad optima esse determinatum, summa libertas est.

## V I I.

Cum itaque sæpius erremus, oportet nos multa præjudicia, id est judicia lata ante debitum rei examen, circumgestare, quæ deponenda esse licet omnes doceant, tamen à quibus cognoscendi modis debeamus abhorrire, ut id præstemus, non fatis adjiciunt. Speciatim itaque dicendum est, quæ sunt illa quæ pro legitimis modis cognoscendi habentur, & tamen mirum in modum obsunt veritati, & humanae cognitioni circa vera: sive, quæ illa sunt quæ mens hominum approbat, imò quærit, tanquam talia quæ mentem perficiunt, & tamen confusionis, obscuritatis, & consequenter erroris in mente humana, sunt causæ. Quod ut præstemus, notandum est, mentem de omnibus cogitare non posse, sive, omnia illa sciri non posse, quæ ex se & naturâ sua possent intelligi: ergo mens humana necesse habet instituere delectum rerum cognoscendarum, omissis aliis, de quibus cogitare non potest ob multitudinem. Sed *dicat* quis, quomodo mens istum delectum instituet? Nempè, cum omnis agens rationalis, rationaliter agens, intendit aliquem finem in suâ actione, quem ut consequatur, media quædam eligit ad suum finem utilia: ita & mens humana rationaliter cognoscens, sciens, aut saltem scire debet finem, cuius gratiâ illa, quæ scire ntititur, scire velit; hunc finem si invenerit, & secum animo certum ac constantem præfixerit, omnis illa rerum cognitio, quâ potest finem attingere istâ cognitione à se intentum, erunt cognoscenda; illa verò quibus mediantibus finis iste obtineri non potest, nugæ erunt & ineptiæ in humana cognitione, & doctissimè ignorabuntur. Jam verò quis est finis iste, cuius gratiâ nostrum laborem impendimus, & ad quem omnes nostras actiones dirigimus,

## 12 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

mus, quo obtento acquiescremus, hoc est summum bonum? Qui quis erit aliis quam vitæ felicitas, omnes enim sua mala fui-  
giunt, & infelicitatem; id est, felicitatem querunt. Hæc felici-  
tates quamvis in diversis rebus à diversis hominibus ponatur, omnes  
tamen in idem convenient, quod querant statum animi tranqui-  
lum, complacentem sibi in fruitione aliquujus boni, quæ lætitiae  
mentis oriundæ ex acquisitione finis, definitio est: At vero cum  
ille status debeat secundum lumen naturæ queri, alias perennis esse  
vix potest, sed facilè perturbatur, quia ratione destruitur; hinc  
si quarundam rerum cognitionem & sedulam investigationem su-  
perfluam esse ratione ostendero, id est talem, quæ, sive adsit,  
sive absit, nihilo sumus perfectiores, sed contra: cædem operâ  
non esse medium ad felicitatem demonstravero; adeoque ab ho-  
mine rationali, insuper habente quicquid ad finem suum non  
facit, rejiciendam.

## V I I I.

Primo agemus de signis nostrorum conceptum, quibus aliis  
hos indicamus, & quia omnia non posse sciri notavimus, consi-  
derandum est quoque illa signa sunt utilia, adeoque bona, &  
per consequentiam cognoscenda. Hoc ut definiamus, videndum  
est quid boni præstet quævis dialectus in se considerata, sive, quo  
fine ab hominibus est instituta. Hunc finem in omnibus linguis  
unum eundemque reperimus, adeoque intellecto unius fine, &  
cæterorum intelligitur. Qui finis optimè intelligetur, si incom-  
modum quod ex absentia talis signi accideret, perpendimus: ita  
enim causa humanæ cuiusdam institutionis citò intelligitur, quan-  
do consideramus, quænam incomoda sunt ex absentia talis insti-  
tutionis, evitatio illorum, hujus causa est. Ipsa verò experientia  
manifesta facit incomoda, tale signum si abesset in hominibus  
cum aliis viventibus; quia enim nos nobis omnia necessaria suffi-  
cere non possumus, sed alii aliis indigemus, quæ indigentia quia  
ad determinationem voluntatis significari non potest, opus fuit  
tali medio quo aliis ab alio poterat affici: verum id motibus  
corpusculorum extra nos contingere observari potuit, quare & his  
usi

usi sunt. Sed quia illa corpuscula motibus infinitè variis poterant ad alia appelli, ex varietate istius appulsus varia signa sunt orta, & à consuetudine istum appulsum varium percipiendi mente, istius signi cognitio orta est. Omnia ergo signa fine convenient, ut ex ipso vocabulo potest intelligi, nempè ut signa sunt, id est ut significant. Verum & in hoc convenient, quod sint supplementum alicujus imperfectionis. Ita quædam res quæ perfectio esse creditur in circumstantiis, in quibus sumus, absque his est imperfectio: nam res perfectissimæ solâ voluntate sine ope signorum externorum agere possunt, sic enim Deus solâ voluntate principia veritatis & bonitatis animæ fecit innescere. Hinc concludo omnem bonitatem signi à circumstantiis esse, in quibus nos homines constantes ex duabus diversæ naturæ rebus, positi sumus, citra quas bonitatem habere desineret. Sic ergo necessitas facit usum, quæ necessitate sublatâ & usus tollitur, & sublato usu, signi externi bonitas, nam ad hunc erat solum institutum. Unde infero, si omnes homines eodem signo externo uterentur, humanum genus futurum perfectius; dum enim hoc est supplementum præcedentis imperfectionis, quo paucioribus indigemus supplementis, erimus perfectiores. Verum hoc haberi non potest ob varias rationes ex indole hominum deductas, qui patriis moribus, patriæ linguae assuefacti, neutrum immutare, sed se his rebus ab aliis nationibus distinguere volunt. Tum etiam quædam alia sunt in hoc incommodo diversorum signorum commoda. Adeoque hæc illatio magis sperari poterit, quam obtineri. Quarè quæ haberi possunt, illa potius deducamus. Cum necessitas linguae sita sit in usu, cuius linguae nullus usus est, ejus nulla est necessitas: unde infero solas linguas, quæ inter viventes obtinent, esse necessarias, cum his enim solis habemus linguæ commercium. Quin non omnes, sed qui viventes unâ se possunt lingua exprimere, ne duabus utantur, hæc enim unâ necessitatibz satisfaciunt. Cum autem quod necessarium non est, omittendum ab homine sapiente est, præsertim si necessaria, quæ agat habet, quod hic verum est, cognitio plurium linguarum, quam quarum usu indiget, à sapiente querenda non est.

## I X.

Atque hic intelligitur quam verum sit, non esse disputandum de nomine, cum enim omnia nomina ex institutione humanâ sint, atque adeò ex pluriū consensu nata; clarum est, neminem rectè de illis dissentire, quæ sine consensu haberi non possunt: & dum omnes aliquo saltē signo indigeant, pleræque illis esse debere quo uno utantur, modò per id intelligi possint. Sequitur hinc, quod, quando quis habet signa per quæ intelligi potest ab omnibus à quibus signa illa instituta sunt aut consuetudine recepta, illum multum humanæ cognitioni obesse, qui alia aliqua signa adhibet quæ à paucioribus intelliguntur, dicens se ista distincti conceptus, simul & brevitatis gratia adhibere. Non rectè; quia supra audivimus bonitatem omnium modorum exprimendi esse ab usu, & ut intelligaris; itaque qui modus exprimendi non intelligitur, erit rejiciendus, si alius est quo intelligi potes: jam verò multa intelligentur, & revera intelliguntur melius, & à pluribus, si verbis & modis loquendi usitatis uteris, quam si aliquod nomen, ex multis relationibus factis ad tuum intellectum, rebus indis, & veritates quas quivis novit, peculiaribus tuis verbis appellas; non plus in rebus videns, sed in comparatione rerum inter se, & juxta illam harum denominatione, magis copiosus. Quod autem modi isti exprimendi peculiares, vel termini, sint obscuriores aliis quibusdam loquendi modis communibus, ideo verum est, quia illi termini aliis verbis non intelligentibus explicantur, per quæ autem aliquid explicatur, illa verba explicandis sunt clariora. Nec hoc breve est, quod bis dici debet. Nec distinctum, quod vel nihil quod intelligatur, vel multa simul intellectui objicit, dum in rebus diversissimis convenientiam, non rei, sed nominis indicat. Sapiens igitur talibus obscuris modis loquendi abstinebit, intelligens cuiusvis externi signi finem esse significare, adeoque illud non esse signum, quod nihil significat: nec, pro istis terminis disputans, de nominibus disputabit: homo commodus, subveniens in hoc imperfectioni humanæ, quod perspicuis verbis utatur, & quorum nulla bonitas nisi à fine est, ea, si finis desit,

mala

## INAUGURALIS.

15

mala esse existimet. Exinde vero factum est, quod plurimi conceptibus caremus, verbis abundamus; scilicet jam diu est, postquam vera rerum nomina amisimus; & quod omnis labor in novis fingendis verbis positus fuit; quia de rebus ad verborum auditum cogitabamus, quot verba habebamus, tot diversis modis nos res intelligere existimantes; atque hoc modo omnia non minus divisionibus, an confusionibus, replentes. Sed hæc, & alia ejus generis, potius oratiunculæ meæ, quam disputationis materia sint: at difficile est disputare, quando declamare oportebat!

## X.

Ad hos loquendi modos non accuratos pertinent similitudines rerum tales, quæ nihil, nisi idem nomen commune habent: sive, in quibus cogitatio de alterâ re alteri non potest applicari; verum omnis similitudo, quæ in illis reperitur, est in hoc sita, quod actiones unius rei, alteri quod ad nomen tribuantur; quodque effecta & modi efficiendi diversi quod ad conceptum, uno generico nomine uniantur. Tales autem sunt pleræque similitudines, quæ quotidie ab hominibus adducuntur: nempe fallit eos confusus quidam de modo cognitionis humanae conceptus; viderunt res cum rebus collatas melius aliquando intelligi, quam fuissent intellectæ sine istâ collatione; quod quidem verum est: sed quoniam illa collatio qualis sit, non attenderunt, hinc quamvis collationem inter res pro legitimo cognoscendi modo habuerunt. Sed si attendissent, quotiescumque unum per aliud intelligimus, conceptum unius rei quem ante de eâ habuimus, etiam in alteram rem convenire, nos deprehendere, adeò ut idem conceptus maneat, sed ille tantum transferatur ad aliam rem, cui illum ante non tribueramus; hoc si attendissent, summa curam in proferendis similitudinibus adhibendam esse vidissent. Et quemadmodum quæ diversæ naturæ existunt, diversimodè operantur, unumquodque suæ naturæ convenienter, ita ut modus operandi sequatur modum existendi; patet, quam male resversas, in modis operandi & existendi similes concipiant,

## 16 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

piant, aliquo saltem modo; & quod de alterâ re dicunt ritè & rectè, etiam de alterâ, quia prædicato aliquo communi, ab illis invento, conveniunt, dicendum existiment: quod tamen commune prædicatum, non est nisi nominis convenientia, ab illis inditi, cuius respectu nemini aliquod commune attributum tribui potest. Et certè hic cognoscendi modus, multis familiarissimus, quotidie magna confusionis in concipiendis rebus causa est. Ita quia ab infantia soliti fuimus corpora solum observare, eorumque modos tum existendi, tum operandi videre; proiectio-ri ætate res, quæ corpora non sunt, intellecturi, eas ad similitudinem corporum si non in totum, saltem in tantum concepi-  
mus, & quoniam in omnibus convenientiam quærebamus, sal-  
tem communi Entis nomine junximus; ratione nominis com-  
muneattributum exprimentis, quædam illis communia esse cre-  
dentes; quæ tum nomini isti, & omnibus quibus id nomen in-  
dideramus, convenire dicta sunt. Ratione operationis idem est  
factum, eandem ob causam, quia omnia ad similitudinem pri-  
morum conceptuum de rebus, quæ nobis primò obveniebant,  
concepimus. Sic quia vidimus primus nostris annis corpora ali-  
quando agi, aliquando non, (vel ut tum locuti fuimus, ali-  
quando agere, aliquando ab actione cessare) assuefacti hoc modo  
actionem ab agente ut duas diversas res distinguere, utpote quod,  
illâ sublatâ, remanebat; hinc factum nos rem continuò agentem  
intelligere non posse, sed semper velle quamvis actionem à prin-  
cipio distinguere; atque hinc alii de talibus rebus negant simpli-  
citatem summam: alii, qui hanc concedunt, negant rerum, etiam  
talium, essentias per actiones exprimi & concipi debere. Atque  
hanc esse causam obscuritatis in talibus rebus concipiendis, quivis  
concedet, qui agnoscere vult, nos, ex judiciis antè factis, de fa-  
ciendis determinare. Indè concludimus hoc nos non uno modo  
impedire in cognoscendo, quævis velle ad similitudinem rei,  
etiam diversissimæ, concipere: & inferimus res ejusdem ordinis  
ritè per se invicem intelligi: contrà verò comparatione cum di-  
versæ naturæ rebus obscurari.

## X I.

Neque plurium rerum confusio in mente, est unicum vitium quod homines in similitudinibus adferendis committunt, sed & illud accedit, quod istis etiam citra necessitatem utantur. Supra enim audivimus omnem modum exprimendi debere hoc habere, ut se significare faciat tum, quando non est medium expeditius significandi suos conceptus: jam verò, homines sæpius similitudines adhibent, quando sine illis potuissent sua satis exprimer. Nam omnis similitudo adhibetur ut res obscurior declaretur; oportet itaque ut res quæ declarabitur, sit obscura, & quidem obscurior è, per quam declaratur. Qui itaque alias docebit, si id rite ager, aliis in occasionibus quam hisce, istis parcer. At, quam sæpè peccamus, quod verba clara, & a quibusvis intellecta, similitudinibus an ornamus, (ita quidem existimant,) an verò oneramus? quæque debuerant ob suam claritatem fuisse medium ad demonstrenda alia incognita, cum aliis cognitu non necessariis confusa, mentem audiētis, vel legentis, dubiam sæpè relinquunt, si revera ante intellecta, nunc intelligit? quod eveniet, si non necessaria à necessariis discernere non potest, & credit rem per illa addita explicari, per quæ tamen intelligi non potest. Nam propter hæc adjecta, mens ad plures res cogitandas avertitur, & quoniam secundum normam harum, illam vult intelligere, (suspicatur enim esse ulteriorem explicationem) quarum non idem conceptus est, non solum aliquando dubia manet, quin sæpè errat, conceptum posteriorem priori rei applicans, & vice versa. Debemus itaque in similitudinibus esse parci, non credentes illud sermonem nostrum ornare, quod mentis cognitionem adeò impedit. A similitudinibus generatim consideratis ad peculiaria quædam ejus nomina descendemus. Et colligimus ex hisce, Metaphoras non esse adhibendas ab homine in humanâ accuratâ cognitione; nam illæ sunt non accurata similitudines, queis aliqua res dicitur possidere, aut quicquam agere, quod alia res agit, aut possidet; sed in utrâque est longè alia possidendi, aut agendi ratio. Quare tum notatum vi-

## 18 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

tium recurret, Scilicet rerum quod ad conceptus confusio : quam cum benè viderent ipsi inventores, præceperunt, omnem Tropum debere esse verecundum, damnantes nimium a conceptum proprietate recessum. Sed qui nitidis conceptibus operam vult dare, perspicet illos solum in conformitate omnimodā intellectus cum re consistere , adeoque non nimiam tantum, sed & quamvis dissimilitatem cum eodem, id est , proprietatem , esse vitandam. Neque id debet dici delectare quod obest nostræ perfectioni. Neque id potest aliquem doctum efficere , quod specie cognitionis imponit. Quia autem similes loquendi modi improprii etiam in vitâ humanâ obtinent, hinc illæ infinitæ de rebus nihili quotidiæ inter homines disputationes , & verborum dissidia; nam alter alterius verba accipit propriè , alter impropiè : ambo enim illi loquendi modi , si non ratione , saltem usu permitti sunt; quin etiam , alter altero habetur quandoque elegantior , nam multi sic habent , elegantiae esse , impropiè loqui. Ita quando verâ rerum cognitione destruimur , ejus opinione nos decipimus ! Si tales plurimæ verborum acceptiones contingent in rebus gravioris momenti , quia hoc modo semper occasio excipiendi datur , quid de quæstione aut dissidio determinandum sit inter dissentientes , vix liquet , sed sub judice lis manet : & quia , quando unus eandem rem negat , alter affirmat , penes alterum verum est & justum , penes alterum falsum & injustum , hoc vitio utrumque sœpè premitur.

## X I I.

Nec metaphoris multo meliora sunt proverbia & adagia ; quæ vel respiciunt certum & peculiarem aliquem casum , paucis verbis comprehensum , ad alium , in quo videtur similis esse circumstantiarum concursus , relatum : vel talia sunt , quæ nullum factum verum in se continent , sed longè aliud quid significant secundum sensum dicentis , quam ipsa verba in primævâ institutione significant , adeò ut ex precedentibus sit attendendum ad sensum , & non ad verba . Quantum ad priora , observabitur plerumque , in his casum ignotum cum noto conferri , & quia non

non afficimur ab ignotis, quid velit homo talis dicere, insuper habebimus, atque adeò medio horum nihil discemus. Deinde cum in omnibus nostris actionibus debeamus attendere ad hoc, Cui Bono, nihil ad scopum faciet nostrum, facta cum factis conferri; vel enim laudare animus est, & sic certè multum aberramus ab instituto, nam in tantum laudem alicujus diminuimus, in quantum similia ab aliis etiam facta esse docemus. Vel volumus vituperare, nec hic magis est factum probè, nam tantum turpitudini casus dedit, in quantum non est inauditus, sed alios priores authores habet. Quòd ad posteriora illa, ex naturâ ipsius linguae supradictâ, sc. illam debere esse claram, adeoque non debere nos in verbis sensum querere, sed invenire; quapropter obscuritas eorum oberit, quòd minus recipientur, si enim secundum ipsa verba judicamus, sensum dicentis non assequemur. Quia verò verba conceptum, cum quo ab humanâ institutione juncta sunt, injicere animo debent, hoc si non faciunt, apta non sunt. Hanc ob causam credemus nescienda esse ænigmata: quæ oriuntur ex vocabulis iisdem diversimodè acceptis, & propter aliquam similitudinem imaginariam, quam hic aut ille homo suo ex conceptu inter res esse fingit, nomen aliquod rei proprium ex communi institutione, alii rei quam concepit ipsi similem, suâ ex institutione tribuit; petens postea, ut alias illam suam institutionem conjectet: quasi verò homini sit naturale alterius cogitationes novisse, & quomodo ille velit res considerare, & inter se comparare, ac juxta illa rem appellare. Sententiæ tamen ab horum ordine sunt excipiendæ, quæ continent brevia quædam effata, nobis indolem hominum & actiones eandem sequentes, indicantia, longâ & quotidiana observatione petita, & ad judicia nostra secundum ea instituenda utilia. Oportet autem ut sententiæ istæ paucas exceptions & restrictions patiantur, unde quæ nullas habent, sunt optimæ: & quæ alias habent, docent tamen nos, plurimos esse tales in vita hominum casus, & elegantem materiam præbent intelligendi, quomodo affectus multorum judiciorum intempestivorum causæ sunt. Sed non idem est de exemplis, quæ tantum peculiaris hujus, illiusve hominis indolem, & res gestas ostendunt, quia enim ex particulari casu non certò aliquid ad generalem regulam reduci potest,

## 20 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

test, parum illa facient ad humanam cognitionem promovendam: unde male argumentantur, eum in modum, hoc illi in istis circumstantiis contigit, ergo tibi idem in tuis, in quibus positus es, eveniet; ostendendum namque erat, in utroque casu futuram paritatem circumstantiarum omnium; quæ ad hunc casum concurrebant; quorum una forte si absuisset illic, uti fortè hic abest, non evenisset. Accedit, quod homines tales à rei exitu argumentur, hunc in modum; illud benè, vel male cecidit, ergo fuit benè vel male factum; pessimo ratiocinio: possunt quæ quis optimè intendit, successu carere; Imò, eadem hoc tempore exitum optatum fortinentur, quæ alio ad finem perduci non potuissent: nempè, alia in alias incident circumstantias. Unde male quis denominatur ab exitu suæ actionis talis, qualis author ejus exitus fuisset appellandus: perindè ac si malus ille exitus ipsi imputandus sit, non crediderat illa, quæ facit, eò modo accipi potuisse. Unde omnis bonitas vel malitia à fine agentis, & non ab exitu denominanda est: nec videndum quid ad istam actionem revera sequatur; sed quid sequi aliis in circumstantiis potuisset; adeoque an vitium talis exitus in agente sit, an verò in aliis rebus, quæ actionem bonam malam efficiunt, quod impedire, per agentem non est.

## X I I I.

Ex hâc observatione deducimus, quam hallucinentur homines in vitâ communi circa dotes naturæ hominum: plerique enim, ab exitu argumentantes, homines felicitate illa vitæ externa metuntur; credunt, qui ea potitus est, præ alio pollere scientia vitam dirigendi eò modo, ut felix sit; contrà verò, alium, qui ista felicitate destituitur, tali copia destitui. Brevi, quod ille qui felix est, sit prudens in vitæ regimine; infelix verò, imprudens. Sed sciant sententiam hanc, Obscurum amicos, veritas odium parit: quia verò in felicitatè externa procuranda, amicis opus est, qui vera dicere malunt, quam adulari, paucos habebunt. Quod ad alios, in quibus hæc ratio non est; dicendum, omnes ferè homines felices, tales nasci, id est invenire in circum-

circumstantiis suæ nativitatis media ad talem felicitatem vitæ, quod ad homines, nempè à talibus parentibus, felicibus hoc modo, talibusque amicis abundantibus, orti sunt : unde etiam homines, ad sustentandam talem externam vitæ felicitatem, gradus consanguinitatis & invenerunt, & quotidiè colunt. Qui jam talibus destituuntur, patet, quare infelices manent, etiamsi non minus sèpè felicitatem mereantur, quam illi. Sed hæc humana institutio est, quæ sequitur certam societatis constitutionem, quæ adeo qui immutari nec potest, nec debet, quia sèpè habet legitimum fundatum, in meritis erga societatem, si quidem non horum, saltem prædecessorum, quæ & in posteris agnoscenda sunt. Unde habemus, quid de distinctione ratione, natalium dicendum sit.

## X I V.

Huc per consequentias delati, ad exempla redeundum est, quæ non quovis modo probabamus, sed circumstantiarum rationem habendam esse monebamus. Possent forte exempla considerari ut bona, si talia adducantur, quæ affectum aliquem laudabilem in nobis excitant, ad prosequendam virtutem vel vitium fugiendum, qualia sunt in quibus continentur præmia virtutum, vel pænae vitiorum. Exempla, unde discitur ingenium hominum, artes versute & reconditæ, callida consilia; & brevi, quæ animum ista rerum cognitione imbuunt, quæ nobis simili in casu positis, usui possunt esse in hoc, ut bonis utamur, à noxiis, quæ inferri possent, nobis caveamus. Et dicendum, exempla esse bona, si ad motus corporeos referuntur, quin necessaria; cum enim ad hos cognoscendos, animæ debeat fieri occasio per sensus, illa, quæ in sensus incurrint, ut sunt exempla, ad hanc cognitionem promovendam, crunt optima; nullâ enim necessariâ consequentiâ deduci potest ex animâ, motus corporeos hos potius, quam alios, fieri debere, nisi cognitio priorum aliquorum motuum, tanquam principiorum, etiam per sensus cognitorum, præcesserit; adeoque loquor de primò primis motibus, eos ab anima absque sensibus cognosci non posse. Atque talis motuum corporeorum multa observatio, eorundemque memoria; experientia vocatur. Hinc iterum deduci posset, quemvis in cognoscendis rebus principiis indigere,

## 22. DISPUTATIO PHILOSOPHICA

digere, quibus ignoratis circa res ratiocinari non potest; anima enim citra motus corporeos primò primos cognitos, corpora cognoscere non potest; sed quidem, cognitis primis motibus ad alios intellectu assurgere, qui sunt immediati priorum effectus. Unde differentia cognitionis corporum in homine ingenioso, & in plebejo, intelligitur. Homo plebejus potest habere multam rerum experientiam, sed nescit eandem extra illum unum casum extendere. Ingeniosus vero qui experientiam habet, continuas consequentias ex primis istis motibus facit, & per illos, alios invenit. Unde experientia multa, non infert ingenium; neque contra, ingenium infert experientiam, (quid enim ingenium sit antè audivimus) sed corporum debita cognitione, infert diligentem corporum observationem junctam, cum ingenio. Quare illi errarent, qui vellent corpora cognoscere solo intellectu; Simul & illi, qui solā experientiā eorum cognitionem haberi posse autumarent, experimenta experimentis cumulantes. In exemplis autem spectatis, prout istae actiones sunt bona, vel mala, non eadem est ratio: illæ enim sine occasione sensuum cognosci possunt, solā attentione ad illa principia turpis & honesti, omnium animis innata. Quare si aliquod exemplum tale adfertur ad nos movendum, non afficiemur ab eodem, nisi illud intelligamus esse tale, quale nobis proponitur, si scilicet ex ratione agere volumus. Demonstrandum itaque illi est, qui vult nos illo exemplo convincere, hoc cum ratione convenire, vel contra: & si postea illi assentimur, non id erit quatenus exemplum est, sed quatenus intelligimus hoc cum ratione convenire, vel non. Potuisse itaque ille fecisse compendium laboris, si, quod posterius fecit, primò fecisset. Id quidem verum est, nos occasione exemplorum multa examinare de bonitate aut malitiâ actionum, quæ absque hâc non examinassemus; sed hoc iterum ab infantia est, quando de nullis rebus, nisi ad prævios corporis per organa sensuum factos motus, soliti fuimus judicare, credentes inde, omnem cognitionem ex rebus haberi, nullam ab anima ipsa profici: atque ideo semper sensibilia notiora non sensibili bus existimantes, quia illa nostro cognoscendi modo primò videbamus cognoscere, colligentes ex rebus cognitis, rem cognoscētem; ita, quod in nostra argumentatione erat posterius, re ipsa, & se-

& secundum legitimū cognoscendi modū etiam tale esse putavimus, nec in ipsa cognitio[n]e rerum rem cognoscētē involvi vidi-mus; quasi hic verū non sit, agere, esse præsupponit. Itaque, hic quidem objicitur quid fiat, sed non quid fieri debeat; & exemplo, quid de exemplis sentiendum sit, adstruitur. Quo-niam ergo omnis bonitas talium exemplorum, non nisi ab adjecta ratione est, quæ intelligi abque isto exemplo, solā mente, potest; patet, quam minus recte consuetudo agendi alicui objiciatur, tan-quam norma suarum actionum, quam immutare, quantum ad se ipsum, non licet; & quidem talis consuetudo, cujus ratio nul-lā ratione probari potest. Qui assuevit examinare res secundum rectam rationem, non attendit quid alii fecerint, sed quid agendum sit; credens, si res justa & bona est, se ad eandem obligatum esse, etiamsi nullus illam fecisset; & si mala est, se eandem facere non debere, etiamsi omnes anteissen[t]. Et si talis est, cujus actio, & agendi modus, dictaminī rectae rationis non subsunt, adeoque de quo probari non potest, ita agendum est; istius rei determinatio-nem penes agentem manere, quod ad agendi modum, licet alii anteiverint, qui diverso a se modo egerint, & nemo suo: non po-test enim is magis cogi circa hæc, quam ille, qui primus elegit hunc agendi modum; si ille, uti hic supponitur, ex actione ipsâ non fluit, sed liberè electus fuit. Et quamvis hominis commodi sit, in rebus talibus se accommodare ad modum aliorum; tamen, si illud, quod indifferens est, pro necessario obtruditur, ipso facto ostendendum est, rem talem esse indifferentem. Solet autem vulgus maximè exemplis moveri, quia ipsam agendi normam in mente ignorant, sed solo mediante sensu cognoscere assuefacti sunt, maximè etiam a sensibus movebuntur ad agendum, & ab illis quæ in sensu agunt, qualia sunt exempla. Habemus nunc quod de Authoritate humana dicamus circa verū & falsū, post-quam eandem consideravimus circa turpe, & honestum. Hec enim, uti alia præcedens, in cognoscendo est impossibilis: Vel enim assentimur rei, quia intelligimus in mente nostra, illum ho-minem vera dixisse, & sic authoritas non est, sed ad intelligendum occasio. Vel assentimur homini, tanquam tali, credentes, quia talis dixit, id esse verū, cæterum ipsius rei claram & distinctam in menie

## 24 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

menie Ideam non habentes; & tum quidem Auhoritas est, sed rei cognitio non est, *dicimus* quidem rem ita esse, sed non *intelligimus*: neque enim est conformitas intellectus cum re, quod ad intellectionem requiritur; Sed est conformitas judicii, & verborum nostrorum, cum isto homine. Solent autem homines tum authoritatibus adhærescere, quando, quod de re sentiant, ipsi non habent, eo fine, ut videantur res intelligere; &, si in errore deprehendantur, habeant, quo se defendant: utque, qui illis contradicere ausus sit, tanti viri authoritati opponere se non audeat: quasi, qua parte pares sumus, ea impares reddi à paribus possimus: & quasi quis doctus sit habendus, antequam quæ vera doctrina sit, examinavimus. Hinc duo sequuntur, aliorum sententias, ex ipso nostro judicio erroneas, noscere, esse superfluum. Secundo, quamvis authoritatem in hominum cognitione adducere. Nam iis intellectum nostrum non clarum, sed quidem judicium pertinax reddi, ex dictis intelligitur: & hæc est illa confirmatio in nostra sententia, quam ab authoritatibus accipimus. Nulli ergo libri nobis lex sunt, sed tantum occasio cognoscendi, cuius cognitionis si non habemus conscientiam in intellectu, ita quidem ut sciamus nos talia eo modo in intellectu nobis repræsentare, ac illa nobis repræsentamus, quæ ex nobis ipsis habemus sine tali occasione; hoc si non sit, ne quidem cognoscimus, sed ab aliis dicta, memori ter tantum repetimus.

## X V.

Atqui ita de vitiis humanæ cognitionis, non sine vitiis egī. Subsistens in hāc monitione, me hæc & similia non extendere ad quotidianum vitæ commercium, quasi hæc illic observanda sunt: Ratio circumstantiarum & temporis id non permittit. Sed de illis locuti sumus, qui tempus insunt docendis hominibus, & promovendæ humanæ cognitioni; hos, si credunt humanum genus erudiri talibus, admodum falli, evincere conatus. Unica objectio solvenda est; me ipsum hic talibus suisce usum, nam nullum fere verbum à me posse proferri, cui Metaphora, aut similitudo non subsit, adeoque immutandas fore linguas, si hæc rectè essent dicta, præcedentes enim

enim omnes ita fuisse locutos. Primo respondeo, non haec vendito pro perfectis, initia sunt. Dein, quia linguas a vulgo habemus, qui verba nescit jungere convenienter naturae mentis, quam non novit, multae sunt Metaphorae & similitudines in verbis, quibus uti habemus necesse; id est, multa sunt verba quae vulgus ad diversae naturae res transstulit. Nec ideo tamen necesse habemus mutare linguas, sed tantum simplicia verba per periphrasis explicare; & verba male juncta alio modo jungere: ex hac enim variâ verborum compositione videmus contingere, quod homines, eadem lingua utentes, alii inepta, alii bona dicant.

## POSITIONES

Super modo cognoscendi.

## I.

**Q**via habemus prima principia adeo clara, ut omnes, ea dari, debeat agnoscere; non melius ratiocinabimur, quam ex iisdem tam clare argumentando, ut ipsa consequentia quam plurimis innescant: adeo ut in hoc omnis labor ponendus sit, humana cognitione ut clara sit, facilis, & distincta.

## II.

Tum enim optimo cognoscimus modo, quando ad primum nostra cognitionis fundamentum respicienes, quale illud sit, quive ratione illud cognoscimus, perspicientes, omnem nostram sapientiam, ad illius prescriptum inveniendam esse, putabimus; ut si illud clarum sit, nos non queramus obscura; si omnibus commune, nos sapientiam parvo hominum numero non claudamus; & quia isti firmiter assentimur, normam rebus firmiter, & cum plena persuasione assentiendi, inde petamus; ut, quo signo de ejus veritate certi sumus, eodem utamur, ad nos certos de quibusvis consequen-

D

tiis

*tius reddendos; semper attendentes, an signum veritatis, in primis nostris principiis obvium, in nostris adsit consequentiis.*

I I I.

*Habemus ergo signum veritatis in nobis, absque hoc enim non possemus de ulla primâ veritate esse certi; sed erramus, quia in aliis, signo isto non utimur.*

I V.

*Dum ergo alia facilius, alia difficilius cognoscimus, nostra cognitio debet esse continua, & non interrupta difficultorum ex facilitioribus deductio, & generalium veritatum, ad magis à naturali cognoscendi modo remotas, applicatio; ita ut in cognitione illarum, harum cognitionem involvi, gradatim ostendamus.*

V.

*Nam quoniam non omnia simul cognoscimus, sed successivè; dein, quia & in successivâ istâ cognitione certis legibus adstricti sumus; hinc propter primum, alia prius, alia posteriorius cognoscemus; & propter secundum, non quodvis prius cognitum erit causa cuiusvis posterioris cognoscendi, sed semper hoc certum prius, respiciet hoc certum posteriorius, quod si invenimus, tum legitimè ratiocinabimur.*

V I.

*Quoniam ergo una veritas in cognoscendo pendet ab aliâ, nostra cognitio debet ad hanc normam redigi, ut cogitationes cogitationibus ita necalamus, ut nulla media veritas maneat inter principium ex quo datur, & ipsam consequentiam deductam: hoc nisi sit, obscuritas oritur in explicando; quod sepius quo sit, eò illa major est.*

V I I.

*Legitima ergo explicandi, & aliquid alicui persuadendi ratio est, ut, veritatem quam negat, aut ignorat, reducamus ad aliquod ex principiis, ex quibus fuit, usque dum invenimus aliquid in istâ serie, quod dicimus concidere vel intelligere, & tunc, modo, praecedenti positione dicto, ad ipsam veritatem descendamus; & sic, quod nobis fuit ratio assentiendi, eadem & illierit.*

VIII. Prose

### VIII.

Prout quisque autem pluribus talibus principiis instructus est, eò res facilius cognoscit; erit ergo facilitas, eique opposita difficultas in cognoscendo, non in hoc sita, quod alia mens sit aliis essentia ac alia; sed in majori, vel minori numero principiorum; eadem mente nunc plura, nunc pauciora cognoscente.

### IX.

Duplici autem modo se habet mens nostra circa suas deductiones; vel enim ex rebus oblatis illas reducit ad sua principia, unde pendebant; Vel ex principiis descendit ad res alias incognitas colligendas. Adeoque, vel ex pluribus observationibus in hac & illa re factis, colligit veritates generales; vel generales veritates cognitas applicat ad hos illosive casus: manens semper in eadem causam serie.

### X.

Hinc colligimus, ad cognoscendas res, non esse utile, adeò generales veritates animo fingere, quae rerum existentiam non involvunt, aut ponunt, sed vera fuissent, etiam si nullae res existissent; ex illis enim ad res has vel illas argumentari non possumus indubitate consequentiâ, sed tantum ex hypothesi existentia, vel rei, existentiam sequentis. Ita ut hinc pateat, non recte dici, rei existentiam per illa probari, qualis est anime cogitantis.

### XI.

Quia autem in omni certâ & indubitata cognitione procedendum est à tali causa, quâ positâ effectus ponitur, & quâ sublatâ, tollitur, ad demonstrandam rem cognoscendam; hinc patet, quare tam parvi in humana cognitione sunt facti progressus; nempe, pro principiis assumpta sunt tam generales propositiones, a quibus cognitis, nullo certo modo res poterant cognosci nec in existendo, nec in operando; quod tamen in omni legitimâ deductione requiritur, ut scilicet veritas prior sit ratio, & causa necessaria veritatis posterioris.

### XII.

Adeoque, quando de principiis nobiscum natis locutus sum, non intellexi

tellexi talia, nam quamvis veritates sint; principia tamen non sunt; sed intellexi, quamvis cogitationem adeò claram & evidenter, ut non possimus ejus contrarium in mente concipere clarè & distinctè, & quod uno eodemque modo nobis, etiam de hoc de industria non cogitantibus, quoconque tempore id sit, obvenit; quoque magis ad id attendimus, magis tale esse reperimus. Hac autem sunt plarima, omnibus cognita, sed quæ principia non videntur, quia nemo ex iis solet aliquid deducere, solent enim homines, in primis suis judiciis de rebus, subsistere.

### X I I I.

Hic se offert nova consequentia; quia precedenti thesi audivimus, illa principia quidem esse veritates, & tamen ex iis nullos posse fieri progressus in humana cognitione; summe attendendum est, ne ita nobiscum argumentemur; illa res est vera, ergo est cognoscenda; non enim sufficit aliquid esse verum, sed talis veritas esse debet, quæ necum habet cum aliâ veritate, & hec cum aliâ, ita ut istâ cognitâ, illa cognoscamus, quæ sine istâ cognitâ non cognoscemus, & quæ scire nostrâ interest, ut promoveamus rerum optimarum scientiam. Quæ illæ res optimæ sunt, in Thesi est dictum. Hinc intelligimus, quomodo, quod est consequentia ratione hujus veritatis, possit esse principium ratione alterius.

### X I V.

Finis autem istius nostræ cognitionis hic esse debet, ut per illam aliis, & nobis bene sit, hoc est, ut expeditius in vitâ nostrâ res & cognoscamus, & agamus. Omnis namque scientia ad bonum humane societatis referenda est.

### E R R A T U M.

Pag. 9. lin. 4. Th. 6. lege omnem amorem aliquem &c.

